

firmando generaliter omnia privilegia Vicariae Bosnae hucusque concessa.²¹

Post eum Martinus V a. 1418 in nota sua bulla »Illius, qui ut protoplasti« inseruit integrum textum bullae Joannis XXII, adduxit posteriores ejus confirmationes et explanationes ab Urbano V. et Urbano VI. factas ac deinde omnia privilegia, gratias, facultates, indulgentias dictae bullae denuo confirmavit concedens fratribus iisdem uti »in *Bulgariae, Valachiae, Rasciae et Bosnae* praedictis et etiam aliis partibus«, id est in toto ambitu Vicariae; insuper iisdem privilegiis gaudent pro locis in futurum accepturis. Nulla amplius clausula in usu hujusmodi facultatum apponitur praeter illam: uti »illis videlicet, quae ad hujusmodi episcopalem dignitatem pertinent, in absentia, aliis vero tam in praesentia quam in absentia catholicorum episcoporum inibi locorum dioecesanorum« in *Bulgariae, Valachiae, Rasciae et Bosnae* praedictis, et etiam aliis partibus.²²

Hucusque vidimus curam pastorem Franciscanis commissam fuisse in Bosna et circumvicinis regionibus tantum apud gentem ab ipsis conversam et convertendam. Nunc ob angustias temporum sub certis conditionibus conceditur ipsis cura pastoralis et aliorum, praeter conversos. Hujusmodi autem concessionibus ob perturbationes et frequentes depraedationes Turcarum ortae videntur. Turcae enim hoc tempore erant timor ac tremor Europae, maxime vero peninsulae Balcani. Jam in aliquibus arcibus Bosnae sedes suas fixerant, ex quibus regiones catholicas depraedare excurrerant.²³ Franciscani etiam, praevidentes periculum, tempestive pro casu necessitatis loca tutiora sibi erigere jam conabantur.²⁴ Ex altera autem parte non in pauca loca

²¹ »Nec volumus, ut hoc privilegium, seu alia quaecumque privilegia ipsi Vicariae per nos, et praedecessores nostros concessa, possint in aliquo revocari«. BF, VII, 141 n. 405; AM, ad an. 1402 n. 1 (IX, 578—579).

²² BF, VII, 510—511 n. 1392; AM, ad an. 1418 n. 14 (X, 343—345).

²³ Bašagić, o. c. 8 sqq; Klaić, o. c. 209, 267, 268, 273.

²⁴ Fermentžin, Acta Bosnae, 114—115 n. 617; BF, VII, 572—573 n. 1525. Franciscani a Martino V duo loca in Hungaria erigere petunt, ut possint ibi »refugii causa, ob persecutiones Turcarum et aliorum infidelium